

possunt habere naturalem virtutem ad agendum, et inde est, quod ex impressione caelestium corporum nullam virtutem sortiuntur, in quantum sunt artificialia, sed solum secundum materiam naturalem. Falsum est ergo, quod Porphyrio videbatur, ut Augustinus dicit in 10. de Civit Dei (c. 11 a med. et l. 21 c. 6 t. 5), herbis et lapidibus et animantibus et sonis certis quibusdam, ac vocibus et figurationibus atque figmentis, quibusdam etiam observatis in caeli conversione motibus siderum, fabricari in terra ab hominibus potestates idoneas variis effectibus exequendis; quasi effectus magicarum artium ex virtute caelestium corporum provenirent, sed sicut Augustinus ibidem subdit (c. 11 a med.), totum hoc ad daemones pertinet ludificatores animarum sibi subditarum. Unde etiam imagines, quas astronomicas vocant, ex operatione daemonum habent effectum: cujus signum est, quod necesse est eis inscribi quosdam characteres, qui naturaliter ad nihil operantur, non enim est figura actionis naturalis principium; sed in hoc distant astronomicae imagines a necromanticis, quod in necromanticis sunt expresse invocationes, et praestigia quaedam, unde pertinent ad expressa pacta cum daemonibus inita; sed in aliis imaginibus sunt quaedam tacita pacta per quaedam figurarum seu characterum signa (1).

ARTICULUS IV.

De naturali ejusque oppositis, ac praesertim de violento.

Quid
et quotuplex
naturale:

primus sensus.

188. Naturale, ut ipsa vox satis indicat, dicitur id quod est secundum naturam: quare nihil mirum, si quemadmodum natura, ita etiam naturale multifariam sumatur. Et primo quidem naturale dicitur, prout opponitur *supernaturali*: quo pacto naturale importat id, quod est secundum naturam sumptam pro rerum creaturarum universitate, ac proinde naturale, prout oppositum supernaturali, significat quidquid non superat ordinem ac potentiam, sive activam sive passivam, et exigentiam cujuslibet substantiae create,

(*) S. Thom. 2. 2. quaest. 96, art. 2 ad 2.^{um}.

et etiam omnium quarumcumque creabilium, quae cum his transcendentalem ordinem habeant, vel cum earum viribus et exigentiis servent proportionem. Nam supernaturale e converso secundum suum conceptum philosophicum intelligitur, ut supponimus ex Theologia, id quod transcendit naturam seu collectionem omnium substantiarum creaturarum, et quarumcumque aliarum possibilium, quae hisce affines sint, vel intra earum ordinem transcendentalem contineantur. Verum de his fusius disputare spectat ad Theologos. Secundum hanc acceptionem dicebamus superius miraculum non esse opus naturale, sed supernaturale vel superans naturam. Secundo sumitur naturale per oppositionem ad liberum: et sic naturales dicuntur v. g. causae absque libertate operantes. Tertio naturale dicitur quidquid accidit secundum regularem ordinem et communem causarum dispositionem: qua ratione naturalis est pluvia in hyeme et calor in aestate. Quarto naturale accipitur, prout distinguitur ab artificiali, quod ex directione artis procedit: qui sensus satis patere potest ex dictis in praecedenti articulo. Denique naturale sumitur per oppositionem ad violentum, estque id quod est conforme rei propensioni vel innatae exigentiae cujuslibet rei; et magis adhuc proprie et stricte naturale prout a violento condistinctum, est quidquid est secundum naturam sumptam in physica illa naturae acceptione, quam in hoc capite declarandum assumpsimus, pro primo principio, sive activo sive passivo, motus immanentis et quietis.

Quamobrem violentum ad mentem Aristotelis (1) communi Scholasticorum sensu definitur: *quod est a principio extrinseco, passo non conferente vim*, id est *passo reluctante*, prout ex communi interpretatione liquet: exemplum habes in corpore elastico, cum a dispsitione naturali removetur. Duo ergo requiruntur ad violentum: primum, quod principium activum

(1) *Violentum autem est*, inquit Philosophus, *cujus principium extra tale existens, in quo nihil confert operans vel patiens*. Arist. *Ethicor.*, lib. 3, cap. 1. Cfr. *ibid.* S. Thom. lect. 1, paragr. d. Paulo contractius a rei moralis tractoribus vis vel violentia dicitur coactio, quae a causa extrinseca et libera infertur enti morali, repugnant illius voluntate.

secundus,

tertius,

quartus,

quintus.

Quid
violentum.

motus vel termini violenti sit extra subjectum, cui vis infertur. Ratio est, quia nihil inordinatum est in natura; si quod autem subjectum in seipso haberet principium motus sibi violenti, atque adeo ingenitæ suæ propensioni reluctantis, magnam reapse inordinationem contineret. Itaque principium activum motus violenti extra subjectum, cui vis infertur, reperiatur, necesse est, saltem si sermo sit de principio principaliter determinativo. Unde si quis apprehensa manu tua alapam alteri, te invito dederit, percussio illa tibi erit violenta, quia extrinsecus determinatur. Secundo requiritur, ut ad motum violentum nihil conferat subjectum sive agendo sive exigendo, sed e converso contra nitatur. Non enim sufficit ad motum violentum, ut passum se habeat mere passive aut negative ad illius receptionem, sed requiritur ut positive illi repugnet. Quare recte scripsit S. Thomas, *quod non semper est motus violentus, quando passivum immutatur a suo activo, sed quando hoc fit contra interiorem inclinationem passivi* (1). Hinc sequitur materiæ primæ nude ac secundum se sumptæ nullum motum esse posse violentum, quia materia, quantum est de se, nulli motui vel formæ repugnat, sed ad omnia est indifferens. Si tamen materia consideratur prout unita formæ vel certis affecta dispositionibus, potest vim pati, quia ut sic, potest repugnare certis formis ac motibus prout sibi contrariis. Cæterum violentia fieri potest subjecto bifariam, vel negative privando illud bono debito, ad quod jus habet ac naturalem appetitum vel inclinationem, et positive, nempe motum vel formam contrariam imprimendo. Quando autem subjectum privatur bono debito, ad rationem violenti videtur requiri, ut bonum illud non compensetur altiori præstantiorique bono, in quo vel formaliter vel eminentius continetur (2). Illud quoque notandum est in entibus compositis posse quosdam motus videri respectu alicujus partis violentos, qui tamen absolutæ naturales sunt, quia et habent intrinsicum principium in ipso subjecto, et sunt secundum exigentiam totius. Tales sunt v. g. motus locales celeriter gradientis vel saltantis aut brachia attollentis, quorum

(1) S. Thom. 1. 2. quæst. 6, art. 4 ad 2.^{um}
 (2) Cfr. *Ontolog.*, n. 293, pag. 860.

omnium motuum et activum et passivum principium est in ipso homine (1).

189. Hic autem varia occurrunt dubia. Et primo quidem, utrum violentum sit solum contra principium activum, quemadmodum docent plures cum P. Vazquez (2), an vero possit esse etiam contra principium passivum seu receptivum, prout tenent alii longe communius. Et videtur dicendum, posse violentum dari etiam solum relate ad principium passivum, quando nempe aliquid fit repugnans inclinationi vel naturali appetitui actus vel formæ convenientis. Unde si materia prima omni forma privaretur, vel illa, ad quam ultimo disposita est; violentiam profecto pateretur, quia naturaliter esse nequit sine a aliqua forma, et quia exigit illam, ad quam ultimo est disposita. Ratio autem est, quia carentia formæ vel actus connaturalis, vel etiam motus repugnans principio passivo vel subjecto receptivo, vere est aliquid ab extrinseco procedens, et quidem passo non conferente vim (3).

190. Dubitatur secundo, utrum detur, vel dari queat, motus neuter vel præternaturalis, quique nec naturalis sit nec violentus. Negant quidam cum Cajetano (4) et Soto (5). Affirmant autem probabilius plures alii cum S. Thoma (6), Suarez (7), Joanne a S. Thoma (8), De Benedictis (9), Lossada (10), et Antonio Mayr (11). Et ratio est, quia non apparet, cur causa naturalis nequeat producere effectum non supernaturalem, qui neque sit violentus neque etiam debitus sive determinate sive indeterminate, atque adeo naturalis. Et hoc pacto etiam multi putant lumen neque esse violentum aëri, quia non repugnat eidem; neque naturale, quia nullatenus

Utrum
 violentia dari
 possit non solum
 contra
 principium
 activum,
 sed etiam contra
 passivum.

Utrum
 dari queat
 motus neuter.

(1) Cfr. Lossada, *Physic.*, tract. 2, disp. 1, cap. 2, n. 3, 17.

(2) In 1.^{am} 2.^m, disp. 25, cap. 3.

(3) Plura dabit Joann. a S. Thoma, *Physic. quæst.* 9, art. 4, *Secunda difficultas*.

(4) Apud Suarez disp. *Metaph.* 43, sect. 4, n. 12.

(5) *Physicor.*, lib. 2, quæst. 1 ad 2.^{am}

(6) *De Cælo*, lib. 1, lect. 4.

(7) *Metaph.*, disp. 43, sect. 4, n. 13.

(8) *Loc. nup. cit.*, *Tertia difficultas*.

(9) *Physic.*, lib. 2, quæst. 1, cap. 3.

(10) *Loc. cit.*, cap. 2, n. 4.

(11) *Philos. perip.*, pars 2.^a, n. 686.

debetur illi. Sic etiam quantitas videtur esse in potentia neutra ad varias figuras, quia nulla earum pertinet ad perfectionem vel inclinationem illius secundum se: ac demum res naturales non dicuntur esse in potentia naturali ad formas artificiales, sed indifferenter se habent.

Dices. Omnis motus vel est perfectivus subjecti vel imperfectionem afferens vel demum neutro modo se habens. Atqui nullus horum est neuter: non primus, quia motus perfectivus est debitus atque adeo naturalis. Secundus vero est violentus: tertius autem inutilis, ideoque violentus, quia natura respuit inutilia.—*Resp. conc. Major.*, et *neg. Minor.* quoad primum membrum: undenam enim probas omnem formam quomodocumque perfectivam debitam esse naturæ? Sed plura de his vide apud laudatos auctores (1).

Utrum causa
superiores,
ac potissimum
Deus, possint
vim inferre.
Varie
sententia.

191. **Illi vero difficilior est quæstio**, utrum a quocumque principio extrinseco possit vis inferri: dubiumque præcipue respicit Deum, causam supremam et universalissimam. Ut enim jam superius agentes de miraculorum possibilitate significavimus, quidam negant posse Deum ullo pacto vim inferre rebus creatis; idque videtur docere S. Thomas (2), et innuit S. Augustinus (3). Alii simpliciter affirmant, quæ est sententia Magistri Lorca (4), et sat communis inter Nostrates cum Suarez (5), Vazquez (6), Sylvestro Mauri (7), Lossada (8), et Antonio Mayr (9). Alii denique distinguentes inter Deum *motorem universalem* ac Deum *motorem particularem*, arbitrantur posse vim creatis rebus inferre, si ut motor dumtaxat particularis operetur, non autem, si ut motor universalis: hæc est sententia P. Joannis a S. Thoma (10), qui eandem asserit teneri communiter a Thomistis,

(1) Cfr. *Ontolog.*, n. 214, pag. 604.

(2) S. Thom. 1 p., quæst. 105, art. 6 ad 1.^{am}; *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 100; *de Potent.* quæst. 6, art. 1 ad 17.^{am}

(3) *Contr. Faustum*, lib. 26, cap. 3.

(4) In 1.^{am} 2.^{am} quæst. 6, art. 4, disp. 4, membr. 2.

(5) In 3.^{am} part. quæst. 44, sect. 2.

(6) In 1.^{am} 2.^{am} disp. 25, cap. 4.

(7) *Question. Philos.* lib. 2, quæst. 12 ad 6.^{am}

(8) *Physic.* tract. 2, disp. 1, cap. 2, n. 6 seqq.

(9) *Philos. perip.* part. 2, n. 705 seqq.

(10) *Physic.* quæst. 9, art. 3; *Prima difficultas*.

ac nominatim a Conrado (1) et Ferrariensi (2). Quid porro sit Deum agere in rem creatam tamquam universalem vel particularem motorem, explicat idem Joannes a S. Thoma hisce verbis: «Quod si petas, quomodo intelligemus, quando movet Deus lapidem sursum ut particularis motor, vel ut universalis; respondetur id constare præcipue ab effectu, ut si fieret conservando renitentiam lapidis in oppositum, tunc enim ut particularis motor se haberet. Et hæc est præcipua regula ad dignoscendum, quando motus Dei est violentus, scilicet si movet conservando renitentiam oppositam, et consequenter non secundum potentiam obedientialem, quæ ad nutum obediunt Deo, sed secundum potentiam, quæ resistendo vincitur, et obedit agenti ex victoria supra ipsam, non ex suprema causalitate in ipsam» (3). Eandemque doctrinam amplectitur ut probabilem, magis que declarat P. Antonius Goudin ex eodem Sacro Prædicatorum Ordine (4), dicens Deum movere per modum moderatoris universalis naturæ, «rerum inclinationes mutando et flectendo, ut placet, sicut efficiendo, ut aliqua res inclinatur de novo ad aliquid oppositum ei, ad quod antea inclinabatur»; et hoc modo Deum re vera non inferre violentiam. Deum autem movere per modum agentis particularis, «imprimendo motum oppositum inclinationi rei, et simul cum tali inclinatione concurriendo ad expellendum hujusmodi motum, ut si Deus produceret calorem in aqua, simul conservando naturalem inimicitiam aquæ cum calore, et concurrendo cum aqua ad expellendum talem calorem» (5): sicut posse Deum motum violentum rebus imprimere. Et forte sententia hæc inventa fuerit vel ad conciliandas duas priores, vel etiam ad componenda varia loca S. Thomæ in speciem opposita: quandoque

(1) In 1.^{am} 2.^{am} quæst. 6, art. 4.

(2) In lib. 3.^{am} *Contr. Gent.* cap. 100.

(3) Joan. a S. Thom. loc. cit., in responsione ad objection. contr. primam part. conclus.

(4) *Physic.*, prima pars, disp. 2, quæst. 1, art. 2, *Dico 3.^o et Dico 4.^o*

(5) Non exemplum, sed rem exemplo significatam, attende: veteres enim putabant frigiditatem esse ingenitam aquæ proprietatem, eique proinde cum calefacta, vim inferri.

enim scripsit S. Doctor nihil, quod a Deo fiat in istis inferioribus, esse violentum vel contra naturam, ut in locis modo laudatis; alias vero diserte admittit miracula a Deo facta, quæ sint *contra naturam, sicut si grave sursum moveretur, et quod Virgo peperit, vel aliquid hujusmodi, ita quod miraculose sequatur manente contraria natura, quæ est principium contrarii actus* (1); alias demum declarat, quo sensu ea quæ a Deo in creaturis fiunt, possunt dici secundum naturam, vel contra (2). Quamquam fateor peculiarem hunc modum, quo Joannes a S. Thoma et Goudin rem explicant, me non invenire apud Aquinatem; nuspiam enim, quod ego sciam, docet eatenus Deum per modum causæ universalis movere res creatas, quatenus mutet, vel auferat naturales earum inclinationes, ac propterea vim eisdem non inferre.

Ceterum crediderim tertiam istam opinionem reapse in secundam recidere, quia concedit eidem totum illud, quod præcipue intendit; quia ex eo præcise colligitur Deum posse violentiam creatæ naturæ facere, quia potest contra insitam ejusdem propensionem atque appetitum operari. Quicumque igitur statuit, Deum si agat vincendo contrariam naturæ inclinationem vel renitentiam, agere contra naturam, profecto non contradicit secundæ illi sententiæ. Utrum autem Deus cum aliquid naturis particularibus contrarium operatur, ipsas innatas inclinationes mutet in alias, quemadmodum isti scriptores supponunt, negandum mihi videtur; quia prorsus supervacaneum est ad talem Dei operationem naturam suis innatis inclinationibus privare, ut magis patebit ex dicendis.

Quamobrem ex tribus relatis opinionibus, secunda mihi magis aridet. Primo, quia dum supponuntur certæ vires atque inclinationes in naturis, quidquid contra easdem fiat a quocumque alio agente, vere ab extrinseco est, passo non conferente vim. Atqui ex definitione communi calculo approbata violentum est, quidquid hoc pacto ab extrinseco principio procedit. Ergo nihil vetat, quominus dicatur Deus vim

(1) S. Thom. 2.^a dist. 18, quæst. 1, art. 3. Cfr. *de Potent.*, quæst. 6, art. 1, ad 1.^{am}; art. 2, ad 3.^{am}

(2) Vide S. Thom., *de Verit.* quæst. 13, art. 1, ad 2.^{am}

Verior
eligitur.

inferre posse creatis naturis. Præterea Deus de facto vim infert daemonibus, in inferis cœercendo illos (1), itemque animabus justorum, detinendo eas, et cruciando piacularibus ignibus purgatorii.

192. **Objicies 1.^o** «Quidquid Deus in creaturis facit, est juxta præcipuam earum inclinationem. Ergo non est eis violentum. Probatur antecedens. Nam præcipua et intimior creaturæ inclinatio est obedire Creatori suo, cui longe connaturalius subjicitur, quam corpus animæ. Ergo sicuti non est contra, sed juxta inclinationem, brachii, ut voluntas illud, quo placuerit, flectat, ita nec contra, sed juxta inclinationem creaturæ est, ut in ea quidquid voluerit Deus, faciat» (2).

Resp. 1.^o eodem argumento æque probari, quod nihil supernaturalè fieri possit in rebus, quia si «præcipua et intimior creaturæ inclinatio est obedire Creatori, cui connaturalius subjicitur, quam corpus animæ», ut argumentatur adversarius: ergo sicut ipse concludit nihil posse fieri a Deo *contra* naturam, eodem jure concludere quoque licebit, non posse fieri *supra* naturam, quia quæ sunt juxta inclinationem, naturalia sunt, nec proinde naturam superant. Quare si Deus decernat dare homini gratiam, receptio gratiæ non erit supra naturam, quia ex adversariorum sententia connaturalius creatura Creatori subjicitur in cujuslibet motus receptione, quam corpus animæ.

Resp. 2.^o dist. ant. Quidquid Deus in creaturis facit, est juxta præcipuam earum inclinationem universalem, *trans.*; juxta præcipuam inclinationem particularem, *neg.* Ad probat *dist.* eodem modo *antec.*, et *neg.* conseq. Inclinatio vel appetitus universalis dicitur ille, quo natura quævis appetit bonum universi et mundani ordinis conservationem etiam cum malo et interitu proprio; particularis autem dicitur ille, quo natura bonum sibi consentaneum et connaturale appetit. Non convenit autem inter auctores, utrum quævis natura universalem ejusmodi appetitum habeat. Alii affirmant cum S. Thoma (3): alii negant, quia putant rem

(1) 2 *Pet.*, cap. 2, v. 4.

(2) Ita Goudin, loc. cit., *Dico* 3.^a Cfr. Joann. a S. Thom., loc. cit., *Prima difficultas*, paragr. *Ratio sumitur*...

(3) 1 p. quæst. 60, art. 5. Cfr. *de Potent.*, quæst. 6, art. 1, ad 17.^{am}

Objectiones
solvit.

quamlibet mundanam eatenus procurare et appetere bonum universi, quatenus appetit seipsam, tamquam partem universi conservare; hoc enim ipsum cedit in maximum bonum universi, nam sic datur actio et reactio causarum, ex qua oritur varia mixtio in bonum universi (1). Concedunt tamen hi auctores, sin minus veri nominis inclinationem et appetitum universalem, adesse certe in omni re creata necessariam quamdam determinationem aut impropiam quamdam inclinationem, ut Deo in omnibus, quæ agere cum ipsa velit, subjiciatur, et obediatur. Quævis enim natura inferior ob suam imperfectionem et imbecillitatem cedit superiori agenti, ac proinde intrinsece determinata est, ut prævalentem illius impulsum sequatur, eique subjaceat. Ex quo resultat hic ordo mundi universalis, cujus conservatio importat sæpe inferiorum entium interitum et malum per actionem causarum superiorum, quemadmodum superius notatum reliquimus, agentes de ordine mundano. Hujusmodi porro determinatio respectu Dei non solum est intrinseca, sed etiam essentialis et omnino ineluctabilis, quia per nullam potentiam liberari potest natura necessitate se subjiciendi actioni divinæ. Inclinationes enim naturales rerum ad particularia bona sibi consentanea frustrari possunt, saltem per miraculum, actio enim causarum superiorum in inferiores, et harum necessitas illis obediendi impediri per divinam virtutem potest; at actio Dei, quominus effectum habeat, retardari nullatenus potest, atque adeo essentialis est necessitas ac determinatio cujuslibet creaturæ, ut Deo subjiciatur, et obediatur.

Verum quidquid sit de hac controversia, propter quam *transmissum* est primum membrum antecedentis, objecto proposita nihil evincit. Quia ad hoc ut motus sit violentus, non requiritur, ut sit contra appetitum universalem, sive detur sive non detur, vel contra intrinsecam illam determinationem, quam omnes admittunt in inferioribus, obediendi superioribus causis; sed sufficit, ut sit contra appetitum particularem vel veri nominis inclinationem ad particularia bona cujusque propria. Atqui ejusmodi appetitus particularis ad

(1) Vide apud. Mavr. loc. cit. n. 702.

bona connaturalia potest procul dubio remanere in natura etiam in sensu composito contrariæ actionis superioris, dum eidem obedit, et subjicitur res propter appetitum illum universalem, sive proprium sive improprium.

Prob. Major. Nisi enim dicamus motum esse violentum ex eo solum, quod sit contra particularem appetitum, quamvis non sit contra universalem, nullus re vera dabitur in natura motus violentus. Sane sicut datur intrinseca determinatio, vel si mavis appetitus universalis, in omni re creata ad obediendum Deo et in natura inferiori ad recipiendam quamlibet actionem causarum superiorum et universalium, puta solis etc., ita etiam in ipsis naturis inferioribus, quæ infirmiores sunt, determinantur ad recipiendam actionem ac motum fortiorum, quamvis suæ particulari inclinationi contrariam: idque postulat ordo mundi universalis. Nempe sicut ignis est determinatus, ut a Deo privetur calore, ac frigus accipiat, et plantæ, ut torrente sole in æstate, siccantur ac moriantur; ita agnus determinatus est, ut a lupo occidatur, vel feriat, et ignis, ut aqua extinguatur, etc.: unde ad conservationem mundani ordinis spectant innumeri motus, qui particularibus naturis nocent, earumque ingenitis inclinationibus repugnant. Et ejusmodi motus Deus ipse vult, et efficit cooperando cum earum causis ad hoc, ut prædictus ordo universalis perenniter conservetur, quemadmodum superius innuebamus. Ergo si motus contingunt naturis creatis secundum prædictam determinationem vel appetitum universalem, quamvis repugnent particulari inclinationi, desinunt esse violenti; nulla violentia possibilis erit etiam in particularibus entibus. Quoniam ergo ex communi sensu datur sæpe violentia, ubicumque contingit aliquid ex principio extrinseco, passo non conferente vim; dicendum erit ad violentiam sufficere, quod fiat aliquid contra particularem inclinationem ad connaturalia bona.

Minor probatur. Quia dum Deus motum aliquem contra naturalem exigentiam imprimit rei create, illamve connaturali aliquo bono privat, naturam profecto illius non mutat. Ergo quæ prius connaturalia erant rei, vel ad consentaneum complementum et perfectionem spectabant, etiamsi Deus per suam omnipotentiam aliter agat, non desinunt esse

connaturalia. An negabis igni babilonico fuisse connaturale, ut combureret tres pueros in mediani fornacem coniectos? vel dices e converso connaturale fuisse, ut flamma instar lenis auræ demulceret illos? (1). Hinc communiter Theologi cum S. Thoma agnoscunt miracula *contra naturam*. *Contra naturam* porro miraculum esse dicitur, quando in natura remanet contraria dispositio ad effectum, quem Deus facit; sicut quando conservavit pueros illasos in camino, remanente virtute comburendi in igne, et quando aqua Jordanis stetit, remanente gravitate in ea: et simile est, quod Virgo peperit (2). Si ergo stante actione superiori, remanet in natura contraria dispositio, viresque propriae ac connaturales, profecto remanet quoque naturalis appetitus, exigentia et inclinatio ad sua particularia bona. Quod ergo insit naturæ inclinatio vel appetitus universalis, quem adversarii opponunt, ad obediendum Deo in omnibus, quæ agere voluerit, non impedit, quominus si quid fiat contra propriam et particularem inclinationem, violentia inferatur.

Instabis. Dominium Dei absolutum exigit, ut creatura illi subjiatur, quam maxime possit excogitari. Ergo stante voluntate Dei efficiendi aliquid contra naturalem rei exigentiam, nequit illa suam retinere inclinationem innatumque appetitum.—*Resp. neg. conseq.* Nisi enim Deus mutet naturas rerum, fieri nequit etiam in sensu composito actionis divinæ superioris, cui cedat, et subjiatur, ut res non habeat certa bona sibi consentanea, atque adeo non retineat suas naturales inclinationes et appetitus. Neque id est contra perfectam rei subjectionem ad divinum imperium, ut abunde patet in moralibus. Sic sæpe sancti homines plena subjectione atque obedientia mortem aliave mala acceptant, quæ innato appetitu naturæ refugiunt. «Datur igitur in creaturis subiectio summa, quæ est essentialis impotentia frustrandi voluntatem Dei, quicquid de illis facere voluerit. Subiectio autem excludens innatam exigentiam boni connaturalis a Deo denegati, impossibilis est in creaturis, quando supponuntur ipsæ existere. Talis quippe exigentia consistit in entitate rei

(1) *Daniel.* cap. 3.(2) S. Thom., *de Potent.*, quæst. 6, art. 2, ad 3.^{um}

vel in proportionem illius cum entitate boni appetiti: quæ proportio variari non potest, nisi variantur essentialia rerum» (1).

Objc. 2.^o «Illud quod fit in re ab eo, a quo data est, et dependet inclinatio naturalis, non est violentum. Sed a Deo data est, et dependet naturalis inclinatio creaturarum. Ergo quod fit a Deo in creaturis, non est violentum» (2).—*Resp. dist.* Major. Si id quod fit in re, sit consentaneum, vel certe non contrarium naturali inclinationi, *concl.*; si sit contrarium *neg.* Et *concesa* Minore, *neg. conseq.*

Objc. 3.^o «Illud dicitur violentum, quod fit, passo resistente. Atqui res inferiores non resistunt, sed ultra obediunt suis superioribus,» multoque magis Deo. «Ergo motus agentis superioris non est violentus rei inferiori. Major patet, probatur Minor. Sicut enim politica subiectio fundat, et exigit politicam obedientiam, ita naturalis subiectio fundat, et exigit naturalem obedientiam. Sed res inferiores naturaliter subjiuntur superioribus. Ergo etiam naturaliter ipsis obediunt; motusque elicit ex hac obedientia censentur naturales» (3).

Et confirmatur, quia motus, qui sunt secundum præcipuam inclinationem rei, nequeunt dici violenti. Tales autem sunt motus elicit ex obedientia et subjectione naturali, quæ res inferiores superioribus causis subduntur. Primo quidem, quia in ejusmodi subjectione quævis res suam obtinet perfectionem; ac deinde, quia in eadem subjectione consistit bonum et conservatio totius universi. Res autem quævis particularis magis amat bonum et conservationem totius universi, quam proprium; cum enim sit pars universi, bonum et conservatio ipsius maxime pendet a bono et conservatione universi. Ergo quilibet motus ab agente superiori, quale est Deus, inferiori naturæ impressus, non est ipsi violentus, sed connaturalis (4). Huc spectat illa Doctoris Angelici sententia: *Unumquodque in rebus naturalibus, quod secundum naturam hoc ipsum, quod est, alterius est,*

(1) Lossada, loc. cit. n. 25.

(2) Ita Goudin, loc. cit.

(3) Goudin, loc. cit., *Dico 2.^o*.(4) Vide Goudin *ibid.*, et Joan. a S. Thom., loc. cit. Cfr. Lossada, loc. cit. cap. 2, n. 7 seqq.

principalis et magis inclinatur in id, cuius est, quam in seipsum. Et inclinatio naturalis demonstratur bis, quæ naturaliter aguntur: quia unumquodque sicut agit naturaliter, sic aptum natum est agi, ut dicitur in 2.^o Physicor. (text. 78). Videmus enim, quod naturaliter pars se exponit ad conservationem totius, sicut manus exponitur ictui absque deliberatione ad conservationem totius corporis etc. (1).

Resp. 1.^o Si vera foret Minor, nulla daretur unquam violentia in rebus creatis. Nam illa vel proveniret a causis superioribus et universalibus vel ab inferioribus et particularibus. Atqui non a superioribus et universalibus, ut ultro profitentur adversari. Nec ab aliis quibuscumque; nam nulla causa creata potest vim alteri inferre, nisi decernente simulque cooperante Deo illius actioni: si ergo nulla res potest resistere Deo aliquid volenti et operanti, nec resistet actioni cujuslibet alterius causæ creatæ, utpote quæ implicat essentialiter voluntatem et cooperationem divinam.

Resp. 2.^o *Neg.* primam partem Minoris. Nisi enim Deus viribus ac proprietatibus suis privet inferiores causas, vel concursum eisdem ad agendum deneget, nitentur illæ, ac quantum possunt, reluctabuntur ad respuendam contrariam suæ inclinationi naturali actionem; talis est enim natura earum divinitus accepta. Alteram Minoris partem *dist.* Creatura multo magis obedit Deo, ita ut non resistat resistentia impediende aut retardande effectum voluntatis divinæ efficacis, *conc.*, ita ut nec resistat resistentia sumpta pro naturali appetitu et exigentia in contrarium, *neg.* Nam ut nuper innuebam, dum naturam ignis Deus in aliam non commutat, etiamsi per miraculum privet illam suo calore, non desinet calorem appetitu naturali appetere, quia calor non ideo desinit esse bonum proprium et connaturale ignis illius.

Ad probationem. Minoris *neg.* conseq. 1.^o Quia sicut politica obedientia non vetat, quominus possit civi fieri a superiore vis et injuria; ita etiam naturalis obedientia bene potest stare cum naturali appetitu ad contrarium. Quia dum sinit ignis se calore suo privari, calor non desinit esse bonum ignis, atque adeo naturaliter appeti ab igne. 2.^o Non videtur

(1) S. Thom. 1 p. quæst. 60, art. 5.

esse paritas inter subjectionem entium moralium et entium naturalium: nam ens morale potest ratione suæ cognitionis ac libertatis vel contra ipsum innatum appetitum aliquid appetere: at entia naturalia nequeunt, quia carent cognitione ac libertate.

Instabis 1.^o Perfecta subjectio et obedientia naturalis rei ad divinam voluntatem et actionem pugnant cum naturali appetitu contrario.—**Resp. neg.** assert. Nam appetitus naturalis stat in eo, quod res in bonum suæ naturæ conveniens ordinetur. Quænam autem est pugna vel contradictio in eo, quod natura aliqua certum bonum ut sibi conveniens respiciat, v. g. ignis calorem et combustionem, etiam tum cum a Deo per miraculum eo bono privatur?

Instabis 2.^o «Naturale est igni non comburere sine concursu Dei. Ergo Deo negante concursum, ignis non violenter, sed naturaliter non comburitur».

Resp. 1.^o «Argumentatio ista similis est huic: *Naturale est homini esse nudum, si vestem non habeat. Ergo dum veste spoliatur invidus, non violenter, sed naturaliter nudus incedit:* vel huic: *Naturale est homini non vivere sine capite. Dum ergo caput ipsi abscinditur, homo non violenter, sed naturaliter moritur.*—**Resp. 2.^o** *dist.* antec. id est, naturale est igni non conjungere actualem combustionem cum carentia concursus, *conc.* Id est ignis, cum non datur concursus, exigit non comburere, vel jam non exigit comburere, *neg.* Ignis enim etiam dum negatur concursus ad comburendum, «naturaliter exigit comburere, non quidem exigendo combustionem conjungere cum non concursu, sed exigendo concursum et combustionem, atque adeo exigendo sensum divisum a negatione concursus, quæ ipsi violenta est. Exempla sunt obvia. Sic famelicus, cui negatur cibus, exigit comedere, non quidem exigendo comestionem conjungere cum non cibo, sed exigendo cibum et comestionem» (1).

Ad confirmationem patet ex dictis, quid respondendum sit; jam enim declaratum manet, quo sensu actus elicitus ex obedientia et subjectione naturali dici possint, vel non, secundum præcipuam rei inclinationem. Ad id quod primo loco

(1) Lossada, loc. cit. n. 24.

adducebatur ad Minoris probationem, responderetur «creaturas perfici quidem physice dum obediunt Deo in recipiendo positivum aliquid non impediens bona connaturalia, seu a creaturis naturaliter exacta; sic enim perficitur anima per gratiam et alia dona, quibus anima non resistit innate, quia non sunt *contra*, sed *supra* naturam. At non perficitur physice creatura, dum obedit Deo pure deneganti bona connaturalia vel contrarium imprimendi. Quis enim dicat ignem physice perfici per negationem concursus ad comburendum?... Aliud est in moralibus; nam libere obedire Deo, semper est perfectio moralis, tum quia nunquam impedit bonum aliud voluntati melius in linea moris, tum quia semper importat accessum ad ultimum finem et conformitatem cum prima regula moralitatis» (1).

Alteram etiam Minoris probationem ut infirmam respiciamus: quia ex eo quod bonum et conservatio universi postulet prædictam subjectionem, non sequitur res magis inclinari, si sermo sit de propria inclinatione, ad patiendum quemcumque motum a causis superioribus, quam ad suæ naturæ connaturalia bona. Immo vero jam monuimus, et iterum monemus, res quamdiu suam servant naturam, etiam dum contra eam aliquid patiantur ex superioris causæ influxu, non posse non retinere innatum suum appetitum vel inclinationem. Quare quidquid a causis superioribus fiat contra naturalem propensionem et exigentiam inferiorum non erit quidem violentum respectu ordinis universalis mundani; nam ordo iste in suo complexu spectatus postulat, quod superiora agant in inferiora, et inferiora obediunt, et subjiciantur inferioribus, ac proinde ex superiorum actione multa contingant, aut certe possint contingere, inferiorum nativis exigentiis contraria; sed erit violentum, nec poterit omnino esse naturale, respectu particularium naturarum, quæ talia patiantur. Sic quamvis occisio agni facta a lupo, et alia id genus permulta, non sit violenta, sed valde naturalis ordini mundano, est tamen violenta et mala ipsi agno.

Objic. 4.^o Hæc vox est S. Augustini: *Deus Creator et conditor omnium naturarum nihil contra naturam facit: id enim*

(1) Lossada, loc. cit. n. 24.

erit cuique rei naturale, quod ille fecerit (1). Unde sic arguit M. Manso (2): «Nequit violentia inferri ab eo agente, a quo quidquid est, naturale est. Sed quidquid Deus agit in creaturis, est eis naturale. Ergo Deus nequit per seipsum ullam creaturis violentiam inferre».

Resp. 1.^o Certum videtur S. Augustinum in laudatis verbis *naturam* non intellexisse, quatenus importat principium innati appetitus vel exigentiæ, cui opponitur violentia. Nam in eodem loco S. Doctor mentem suam clarius expositurus, hæc addidit: *Sed contra naturam non incongrue dicimus aliquid Deum facere, quod facit contra id, quod novimus in natura: hanc enim etiam appellamus naturam cognitum nobis corsum solitumque naturæ*, qui fere constituitur ordine, quem naturales rerum exigentiæ inclinationesque exposcunt. Præterea si verba M. Augustini ita essent interpretanda, ut quidquid Deus fecerit in rebus creatis, sit *naturale*, prout hæc vox idem sonat, ac innata inclinationi conforme, atque adeo non violentum, nimis profecto probarent; probarent nempe nec gratiam nec aliud quidpiam donum esse supernaturale naturæ creatæ posse; Deus enim est auctor ejusmodi donorum, *id* autem est *cuique rei naturale, quod ille fecerit*. Ad quod probandum idem ipse syllogismus Mansi in hunc modum reformari potest: *Nihil supernaturale, producitur ab eo agente, a quo quidquid est, naturale est. Sed quidquid Deus facit in creaturis, est eis naturale. Ergo Deus nequit per seipsum aliquid supernaturale producere in creaturis* (3).

Resp. 2.^o S. Augustinus ergo videtur in objecto testimonio naturam significasse, non particularem, sed universalem. quæ complectitur totum ordinem causarum naturalium, secundum quod aliis consertæ ac subordinatæ sunt, omnesque Deo, primæ causæ, in omnibus secundum sapientissimæ providentiæ consilium agenti subjiciuntur. Rem præclare demonstrat S. Thomas: *Duplex est natura, scilicet particularis, quæ est propria uniuscujusque rei; et universalis, quæ*

(1) S. August. Contr. Faust. lib. 26, cap. 3.

(2) Apud Lossada, loc. cit. n. 7.

(3) Lossada, loc. cit. n. 10.